



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia
Sacra**

Montmorency, François de

Antverpiae, 1638

Sulamitis. ex Cap. 8. Cant. Cant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

FAMIANO STRADÆ
SOC. IESV SACERDOTI
SVLAMITIS IDYLLION.

A R G V M E N T V M .

ECCLESIA, nomine SVLAMITIDIS rustica-
næ puellæ designata, CHRISTVM DEI
FILIVM assumptâ iam carne fratrem suum
compellat.

Ex cap. 8. Cant. Cant.

Iste labos Hebræa manet te Musa supremus.
Pauca velim properes Famiano carmina
Strada,

Dum tibi tantisper se commodat. En age dulci
Dic calamo, fratrem Sulamitis ut arserit olim;
Ut nemus his errans impleuerit omne querelis.

Qui procul aspectu montes, qua pascua,
nostro,

Te germane tenent? quâ te regione requiram?

En celi medio nunc Sol altissimus arua

Puluerulenta coquit, tua dum vestigia lustrô.

En captant nunc frigus oves, oniumque magistri

Turba molesta rogant: Quò te Sulamiti per
astum,

Quò Sulamiti pedes? quis te malus abripit error?

Turba

*Turba molesta file. Fateor, mihi frater amatum,
Et cur dissimulem? non est amor iste pudori;
Ecquis enim culpet fratri quod in oscula cur-
ram?*

*Luce palam te, frater, amem; coramque severam
Matre sit amplexu mihi fas te stringere casto.
Huc ades, in thalamum volo te deducere
Matris.*

*Ipsi te postes, ipsum te limen, & amba
Sponte sua moto suspirant cardine valvae.
Tota tuo domus aduentu ridebit, & ultro
Candida cum violis redeunti lilia fundet;
Mixtaque substernet molli colocasia iunco.
Ipsa ego cana feram tenui lanugine, nuper
Sepibus in nostris quae poma Cydonia legi:
Praeterea tibi bina dabo diversa sapore
Pocula; nectareis arbor hoc Punica granis
Condit, Engaddi vindemia miscuit illud.
Nullus adhuc admonit ijs labra: sed tibi seruo.
Tu dilecte, rudem rerum me multa docebis,
Frater; ut haec discam, quid non faciamve,
feramve?*

*Cura tibi tantum sim mutua: pectore tantum
Vsq̄ue tuo maneat defixa sororis imago,
Annulus ut digito (nostri tibi pignus) inhaeret
Vtve tuis apprima tenax armilla lacertis.
» Res Amor est aeterna: dies nec longa, nec illum
Vincere mors poterit: quamvis mors omnia
vincat.*

Sed

*Sed nec aquis aboletur Amor. turbata procellis,
 Ceca nocte natat tutus freta: quem super hostis
 Ipse tonat polus, & nimbis stridentibus urget.
 Non tamen id mersare caput queat omnibus
 undis*

*Oceanus, non Oceano violentior aether
 In medium foedis descendens imbribus equor.
 Excubet in Scythicis puer hic si fortè pruinis;
 Absumet rabido Scythicas ardore pruinas;
 Intacta s'que nives Soli, potiore resoluet
 Igne; mihi sensim fibras qui gliscit ad imas.
 Sancte puer! tota me lampade fortiùs ure.
 Fratre calere iuuat. Quid enim formosius illo?
 Dulce tepor vernus violis, flauentibus aestas
 Messibus, autumnus botris, mihi Fratris
 amores.*

*Mille (nec inuideo) Thamar è praesepibus
 agnos*

*Ducat & innumeras in pascua manè capellas:
 Lac astate recens, & frigore suppetat illi:
 Ut volet, Assyrio tingat sua vellera fucò;
 Cogat opes, nullumque modum sibi ponat ha-
 bendi.*

Semper ego te frater amem. Nil cetera curo.

*Hec properasse meo munuscula rustica
 Strada*

*Musa, sat est. Ea Strada precor non impro-
 bet: illi*

Sic ferat eternam Farnesias edita famam.

FLO-